MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS II)

Heiligenkreuz, 1183/1200 Seite 65v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



trarent die integro et nocte tota quasi in frigido loco illibata perstitit sanitate. ita ut nulla pars membrorum eius saltem sudoris signo lassaret. Quod cum audisset almachius perfectus misit qui eam in ipsis balneis decollaret. Quam spiculator tercio ictu percussit. et caput eius amputare non potuit. Sic semi necem eam cruentus carnifex dereliquit. Cuius sanguinem omnis christiani bibleis lintheaminibus extergebant. Per triduum autem quod superuixit. non cessauit omnis puellas quas nutrierat confortare. quibus et diuisit uniuersa que habebat. et sancto urbano urbis rome pape tradidit commendatas. Cui et dixit. Ad hoc mihi triduanas poposci inducias. ut et istas tue beatitudini commendarem. et hanc domum meam in eternum ecclesie nomini consecrarem. Tunc sanctus urbanus corpus eius auferens nocte. sepeliuit eam inter collegas suos episcopos. ubi omnes sunt confessores et martires collocati. Domum autem eius in eternum sancte ecclesie nomine tradidit. in qua beneficia domini exuberant. ad memoriam sancte cecilie usque in presentem diem.

Passio sanctorum. Fiuicetis. Maronis et Victorini. m.

G. xvii. k. mai.

Sanctorum martyrum Cuticetis. Maronis. et Victorini certamina laude dignissima. non solum per eos felix italia ueneratur et predicat. uerum audito eorum mirabili triumpho plebs uniuersa triumphat. Hi quoque inuictissimi martires cum beata flauia domitilla. apud insulam pontianam. longum ducentes exilium. eique in christi confessione pium exhibentes solacium. liuore atque insectatione sponsi ipsius aureliani. que pro christi amore contempserat. a principe nerua postmodum tenti. eidem aureliano in seruitutem sunt traditi. Quos ille primum quasi seruos ad sua predia misit. et iussit per totum diem terram eos fodere. et ad uesperum cannabum manducare. Deinde cum plurimos ad fidem christi conuerterent. et populum credentium ampliarent. repletus ira tyrannus. misit quinario penarum genere eos crudelissime interficerent. Nam cuticen in media uia tamdiu cedi iussit. donec spiritum exalaret. Cuius corpus christianorum populus rapiens. digno honore sepeliuit. Victorinum autem uocauit apud eum locum. qui cocialis apud incolas appellatur. ubi putentes aque emanant atque sulphuree. et capite deorsum suspenso per tres horas teneri iussit. Quod cum per triduum pro nomine christi passus fuisset. migrauit ad dominum. Cumque una die iussu aureliani corpus eius inhumatum iacuisset. uenerunt amiternenses populi christiani. et rapientes in suum territorium transtulerunt. Maronem autem misso amico suo nomine turgio. iussit idem aurelianus duci. et saxo in gente opprimi. Sed pro gente domino in nullo eum ledere potuerunt. Quem consularis accepto ab aureliano precepto. interemit. corpus eius christianus populus rapuit. et condigno honore recondidit.

Fodere die. Frontini confessoris.

Erat quidam senex monachus. a primeua etate domino deuotus. nomine frontinus. Hic uir. xxx. monachos in ciuitate qua natus est ad seruiendum domino congregauit. Multo equidem tempore in predicta ciuitate cum eis habitans in opere dei crescebat. laudabatur quoque ab omnibus. precipueque a fidei amatoribus. Sed cum magis tedio esset effectus eo quod non ad aliam solitudinem ad helye pergeret exemplum. inuit accensus a spiritu sancto consilium. ut confortatis fratribus. relicto monasterio. heremum peteret nudus. asserens fratrum conuentum. thesaurorum esse celestium lucrum. Vocatisque omnibus dixit eis. In quod nobis cum mundo quem crucifiximus uobis. Nichil. Si hic erimus quod lucrabimur. Magnum gerimus anime detrimentum inter homines habitantes. Placuit omnibus ratio ista. Acceptis igitur bis accutis et seminibus holerum. omnes secuti sunt patrem passibus equis. Longeuam igitur ingressi heremum. et notorum oculis alienam. ibi fixerunt tabernacula. At uero frontinus merore deposito. securus orabat. maxime nouus heremi cultor. Conuersantibus namque eis in loco eodem. factum est ut murmurare cepissent dicentes. Numquid sola in heremo castitas. que in urbibus non sit. Cur itaque in urbem non reuertimur. de qua ad tempus exiuimus. An in heremo solum deus exaudiet orantes. Quis cibo angelorum uiuat. Quem pecorum et ferarum delectat fieri socium. Que nos habet necessitas hic morari. Cur itaque non regressi in locum in quo nati sumus. benedicimus deum. Audiens igitur dei seruus eorum murmur estuabat. orabatque pro eis intrepidus. ut cito corrigeret eos deus. Numquam tamen inter eos diuinum cessauit officium. nec psalmigraphi siluit uox. nec penuria lassescentes uigiliis defuerunt. Confortabantur cottidie in meliori studio. sed crebro murmurabant. eo quod esset parua in heremo esca. Sed bonus magister assidue orans. auxilium diuinum citius sperabat affuturum. Quadam igitur die perfecto opere uigiliarum uocauit uniuersos ad se et ait eis. filioli quid turbati estis. et cogitationes ascendunt in corda uestra. Nolite in paupertate aduersus deum murmurare. expectate dominum ipsum inopum consolatorem. Scitote scriptum. et reminiscimini quomodo non necabit deus animam iusti. Oculi enim domini super timentes eum. ut eruat a morte animas eorum et alat eos in fame. Si meretrices deus omnipotens non deserit et latrones. a nobis auferet escas. Nolite ulterius in diffidentia remanere. reddet dominus militibus suis exalto promissa. Aut numquid mendacem facimus eum. Ipse enim dixit per filium suum. Nolite cogitare